

deatur incipere cum his verbis Regula: *Nec non impetraciones quaslibet de beneficiis ipsi sic possessis factas, irritas & inanes censei debere decrevit.*

XXV. Subiit tamen Concilium Basiliense: "Excepto hostilitatis casu vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari juxta Concilium Viennense intra triennium tenetur.

Decretum Concilii Viennensis, ad quod hic fit remissio, habetur in *Clem. CAUSAM De Electione*, ubi decernitur, quod si propter appellati aut suorum metum vel potentiam iactatio appellacionis fieri nequeat in domo quam ipse appellatus habitare communiter consuevit, vel si domus ista in remotis existat, in Ecclesia Cathedrali, in cujus civitate vel Diocesi consistat beneficium, prout & in loco beneficii ipsa protestatio fiat quoad propositum nostrum, & aliis quoad ad notitiam possidentium perveniat, aut verisimiliter valeat. Ita probat ad Gloss. Prag. pag. 432.

Poterit ergo ille, qui legitimo impedimento fuit impeditus, actionem suam instituire, & etiam post *lapsum triennii* agere; modo de impedimento ante completum triennium protestatus fuerit juxta formam hic expressam nisi tale subsuisset impedimentum, ut nec ipsa protestatio fieri potuisset, puta si omni tempore incarceratus fuisset. Rebuffus *De Pacificis possess.* n. 402.

XXVI. Inter legitima impedimenta refert Glossa Pragmatica *minorem* etatem; creditq; Minori, cujus beneficium aliquis titulo colorato per triennium pacifice possedit, esse, saltem iudicis arbitrio, dandam restitutionem; ad quam opinionem Glossa reflectens Philippus Probus ait pag. 430. nota 4. "Unum tamen tibi dico, quod nunquam vidi, nec auribus percepi, quod in hoc casu prout nec in aliis spiritualibus minor fuerit restitutus, nec quoad concernit decretum quod versatur, circa petitionem, nec quoad retinendam possessionem interdictum, quod concernit possessorum, coram iudicibus in Gallia agitari private consuetum.

Fallit ubi dolus subest vel circumventio, ut pluribus attestis est iudicatum. Ita in nota marginali ibidem monet Franciscus Pinsonius.

XXVII. Ipsa autem triennialis pacifica possessio cum titulo colorato ita firmat jus possessoris, ut si beneficium sic possessum alteri resignaverit; atq; vigore hujus resignationis in jus ipsius pacifici triennialis possessoris sit surrogatus resignatarius, non possit jus ipsius triennialis possessoris de novo discutere; live surrogatus molestari nequit ob defectum juris sui prædecessoris pacifici triennialis, sed bene discutit potest novus titulus Surrogati, aut inhabilitas ipsius personæ: ut rectè notavit Rebuffus n. 188.

XXVIII. Si quis molestetur post triennium, practica est in Francia, ait Rebuffus n. 73. "ut impetret Litteras Re-

gias de pacificis possessoribus vocatas, per quas præcipitur parti, ut non habeat illum pacificum Possessorem, amplius molestare, si de narratis apparuerit ut in c. 2. de rescript. & debet impetrans probare & ostendere suum titulum, sub quo ipse possedit, nec potest cogere adversarium suum ad ostendendum titulum antequam ipse suum exhibuerit: & ita censuit Senatus iudicis; conventibus Molinis celebratis anno 1534.

XXIX. Hoc tamen intelligendum de molestatione privatorum molestantium possessores triennales: nam Ordinarii ex officio etiam possunt inquirere de titulis possessorum triennalium: de qua inquisitione Ordinarius hæc habet Decretum Basiliense: "Ordinarii autem inquirant diligenter, ne quis sine iusto titulo Beneficium possideat. Quod si talem quandocumq; repererit, detentus iustis non competere & huic si sibi videatur (nisi sit intrusus vel violentus, aut alias indignus) vel alteri idoneo provideant.

XXX. Hæc ostendunt, quod licet Decretum Basiliense uti & Regula Cancellariæ tueantur triennales possessores contra impetrantes Beneficia vivendum, & alios super beneficiis ipsos molestantes, nequaquam tamen velint, ut beneficia sine titulo possideantur: sed ut Ordinarii de titulis possidentium beneficia inquirere queant *quandocumque* id est, non solum post lapsum triennii, sed etiam non obstante quocumque cursu temporis, aut tolerantia Superioris, quæ non tribuit jus iuste possidenti absque nova collatione" ait Glossa Pragmatica pag. 447. Additque: "Quod quamvis præsumatur pro illo, qui diu Ecclesiam possedit, ita quod non teneatur ostendere titulum suum, si tamen constaret de intrusione, vel alio vitioso ingressu, omnino poterit removeri.

XXXI. Porro jus triennialis Possessoris titulo colorato innixum & præsumptioni juris, non potest esse fortius, majorisve auctoritatis, quam jus in vero & legitimo titulo fundatum: ideoq; sicuti hoc jus non impedit, quin ex nova causa superveniente possit suo vero titulo privati, & suo jure excidere; ita nec triennalis pacifica possessio cum titulo colorato efficere potest, quin ex nova causa superveniente & titulo colorato, & jure ad beneficium excidere possit: ac per consequens ex causa superveniente beneficium pacificè per triennium cum titulo colorato possessum fiat impetrabile: quemadmodum bene observavit Rebuffus n. 189, & exemplificat in eo qui haberet Ecclesiam Parochialem, & intra annum post dispensationem ad biennium fruitus, non est promotus ad sacros ordines *Cap. LICET CANON De Elect. in 6. I. dem. esset* (ait) si esset adeptus post triennium secundum beneficium incompatible cum primo.

TITULUS XXVII.

De Resignatione & Permutatione Benefic.

CAPUT I.

De Resignatione pura & simplici, & resignatione in favorem & ex causa permutationis harumque origine.

- Olim Resignatio & renuntiatio habebantur pro synonymis, hodie distinguuntur.
- Omnis resignatio includit quendam renuntiationem
- Pluribus seculis omnis resignatio fuit simplex & pura nec alia in Decretis aliis nota.
- Resignatio conditionalis opposita pura duplex est.

- Resignatio in favorem quæ ratione dicatur conditionalis?
- Clausula huic resignationi apposta impedit liberam Beneficii collationem.
- Resignatio in favorem juxta hodiernum stylum Curia R. dicitur resignatio simplex.
- Hæc resignatio simplex eadem est cum resignatione in favorem, & quare dicatur resignatio cum provisione.
- Quæ dicatur in Curia R. resignatio sine provisione.
- Stylus Curia mutatus circa expressionem verborum, non autem circa substantiam resignationis in favorem.

11. Re-

Pars II. Tit. XXVII. De Resignat. & Permutat. Benef. 693

- Resignatio in favorem non occurrit in Libris Corporis Canonici.
- Sub initium seculi XVI. questio mota fuit an licita essent resignationes in favorem: & qua producta argumenta pro earum licito usu.
- Senatus Parisiensis eas illicitas judicavit: & quo fundamento.
- Quomodo, & quando hæc clausula, in favorem, item non aliis, nec aliter in procuratoria resignationum irrepserint.
- Resignationes hæc olim etiam coram Ordinariis fiebant.
- Nihil de purgatione Simonia pro justificanda hac resignatione allegatum.
- Sensum usus harum resignationum, etiam in Parliamentis Gallicanis receptus.
- Hæc resignationes frequenter de Simonia suspectæ, aliisque incommodis subiectæ.
- An non satis fuisset earum usum nunquam admisisse? (ditionalis est.)
- Resignatio ex causa permutationis etiam con-
- Permutationes Beneficiorum jam pridem vetitæ.
- Non propterea prohibita Beneficiorum translatio auctoritate Episcopi.
- Ob datam transferendi auctoritatem, cepit Beneficiorum resignatio ad effectum translationis.
- Declaratum ut hujus resignationis Beneficia sic resignata aliis, quam compermutantibus conferri non possent.
- Ex hac declaratione quomodo permutationes hodiernæ Beneficiorum invaluerint?
- Quæ ratione transiciones Beneficiorum de una ad aliam Ecclesiam potius dicantur permutationes, quam translationes.
- Permutationes, ut hodie fieri solent, olim incognitæ fuerunt.
- Quomodo Ecclesia hodiernas Beneficiorum permutationes admittat.
- Quam hodierna permutationes sint periculose.

Renuntiatio & resignatio Beneficiorum primitus pro synonymis sumptæ sunt, ut constat *Cap. 8. De Renuntiat.* ubi resignatio accipitur pro renuntiatione; & apertius in *Cap. 1. De Renuntiatione in 6.* At stylus Curia Romanæ, & hodiernus modus loquendi, resignationem à renuntiatione distinguit: ut nimirum per resignationem ferè intelligatur resignatio in favorem; per renuntiationem verò illa, quam dicimus, *dimissionem* puram & sine ulla conditione fieri solitam.

II. Omnis tamen resignatio quamdam renuntiationem sive dimissionem Beneficii includit. Neque enim resignari potest Beneficium, nisi una renuntietur Beneficio; ipsæque Beneficiatus se exuat suo Beneficio.

Unde renuntiatio, prout complectitur & renuntiationem strictè dictam, & resignationem, dici potest cessio seu dimissio Beneficii Ecclesiastici quæ spontè & liberè fit cum auctoritate Superioris.

III. Olim omnis renuntiatio erat resignatio simplex & pura absque ulla conditione: unde de hac sola specie renuntiationis, seu resignationis agitur sub titulo *Decretalium De Renuntiatione*, uti rectè advertit Franciscus De Roye Antecessor Andegavenis l. 2. *Instit. Juris Canonici* c. 18. una advertens, quod & harum renuntiationum sive resignationum usus frequentior esse cœperit sub Alexandro III. neque ullas antiquior Pontifex Alexandro de his agit in libris *Decretalium*.

IV. Resignatio conditionalis opposita renuntiationi seu resignationi pura & simplici ad manus Ordinarii, alia dicitur in favorem, alia causa permutationis: id est quæ fit postquam inter partes de permutandis Beneficiis convenit: & Beneficia resignantur, ut juxta permutationem *Van Espen Jur. Eccl. P. II.*

tionem conceptam alter alterius Beneficium consequatur.

V. Prior quidem vocatur conditionalis duplici respectu. Primò quia recipit conditionem, si Resignatarius acceptet Beneficium resignatum. Quæ conditio quem effectum habeat, patebit ex dicendis cap. 3.

Secundò dicitur conditionalis, quia ex parte resignantis solet in ipsa resignatione apponi clausula: *Et non aliis, nec aliter aut alio modo*: quæ clausula inducit conditionem, & est limitativa potestatis ac præservativa; uti tradit post alios Flaminius Parisius loco citato n. 16. 17. 18. 19.

VI. Addit dein n. 21. "Et est tantæ potentia hujusmodi clausula, ut Papa ex potestate ordinaria non videatur posse alteri conferre Beneficium resignatum, quam nominato." Imò hodie usus invaluit, quod si Papa alteri conferret, aut alio modo, quam in ipso resignationis instrumento esset expressum, ipsa provisio censeretur nulla; uti latè deducit Fevricus De Abusu l. 2. c. 6. n. 12. modò tamen conditio adjecta non fit juri publico contraria.

VII. Invaluerat jam pridem stylus Curia Romanæ, ut in frontispicio ipsius supplicationis pro resignatione ad favorem certæ personæ ponerentur ad latus dextrum hæc verba *Resignatio in favorem*, quibus indicabatur, esse supplicationem pro hujusmodi resignatione; at tempore Gregorii XIII. mandatum est, ut non apponerentur illa verba, in favorem tamquam non necessaria & suspecta, neque in capite, neq; in corpore, ait Flaminius Parisius l. 8. q. 7. n. 36. notatque quod loco illorum verborum posita sit vocula, *simplex*; ita ut hodie ordinariè notari soleat supplica resignationis in favorem his verbis *Resignatio simplex*, quæ tamen idem valent, quod *resignatio in favorem*. "Namque ille resignans (ait Flaminius) renuntiat simpliciter in manibus Papæ, qui (Papa) postea ad preces Resignatarii, ei dictum Beneficium resignatum confert: Nam Papa non habet respectum ad mentem Resignantis, sed ad supplicationem humiliter sibi factam à Resignatario.

VIII. Hæc ille, qui & monet l. 1. q. 2. quod ex Stylus Curia, in eadem supplica in qua quis renuntiat coram Papa, alter supplicet pro collatione; quemadmodum ex formulis resignationis ab eodem Flaminius l. 8. q. 7. relatis videri potest; qui & n. 39. bene monet, "quod licet Copistæ compositores supplicationum apponant hujusmodi verbum *simplex* non tamen erit simplex resignatio eo modo, quo fit coram Ordinario vel coram Papa absque provisione, sed potius in favorem. Et hoc est (ait) de mente Rotæ; ac dicitur *conditionalis* resignatio; attento quod unas renuntiat alter supplicat pro collatione; quamvis in capite vel in corpore non dicatur in favorem, nec aliis nec alio modo &c.

IX. Resignatio simplex coram Papa absque provisione, cujus ibi meminit Flaminius, dicitur, quando aliquis renuntiat liberè & simpliciter beneficium ad manus Papæ; ita ut liberum sit Papæ alicui pro libitu providere, quod contingit in promotis ad incompatibilia; qui in litteris habuerant Decretum, ut debeant renuntiare liberè & simpliciter in manibus Papæ infra duos menses. Et nunc in capite supplicæ ponitur, *Resignatio simplex sine provisione*. Dicitur autem sine provisione, quia in eadem supplica renuntiationis, nullus pro collatione seu provisione supplicat; quemadmodum in resignatione in favorem fieri notavimus; & constat ex formula supplicæ quam lib. 8. quest. 7. refert Flaminius.

X. Itaque quamvis quoad expressionem verborum, circa resignationes in favorem, non nihil mutatus sit stylus Curia Romanæ, res tamen eadem perseverat, manetque reverà resignatio *conditionalis*, & in favorem certæ ac determinatæ personæ; ipsa que clausula *nec aliis, nec aliter* semper subintelligitur.

XI. Itaque de hodierna resignatione in favorem, licet

M m m

cet

licet ex stylo Curie dicatur *simplex*, verissime dixit Flaminio Pacilio De Resignatione Beneficiorum lib. 1. q. 2. n. 3. Resignationes *in favorem* non orant in usu tempore Alexandri III. Innocentii III. & Clementis V. Et ideo non nisi de resignatione *simplici* fit mentio in Decretalibus, lib. 6. & Clementinis.

XII. Imò seculo 14. eas nec dum notas fuisse apparet, testaturq; Arnulphus Ruzzus suprema Curie Parisiensis Consiliarius in suo tractatu juris Regaliorum *Privilegio* 32. n. 2. tempore Georgii de Anstia in Regno Francie Legati à latere (sub initium seculi XVI.) in Palatii ortam fuisse & ventilatam hanc questionem; *utrum resignatio in favorem certa persona valeret, vel conferretur Simoniaci*. Nonnulli eas esse licitas, atque à Simonia omnino exemptas asserunt: quia illicitum non apparet desiderare aliquem, de ejus capacitate quis sufficienter est persuasus, habere in Beneficio successorem; eumque Papæ proponere; posseque Papam propositioni consentire sine ullius *actionis* interventu. Quia non potest dici esse peccatum, quando quis vult renuntiare Beneficio suo, & consentit ut alteri conferatur: "quia Superior videtur solum resignationem acceptare: non autem verba apposita (*non aliis, nec aliter*) in procuratorio, quæ habentur *pro non adjecto*.... Quod in istis resignationibus quæ fiunt in Curia Romana, vel coram legato, vel *Ordinario* solent Procuratores præstare juramentum, quod non intervenerit fraus, dolus, neque alia Simoniae labe... Quod clausula apposita per Notarios non debet nocere partibus, præsertim quod ex *stylo ipsorum* apponitur, quæ nihil operatur... Præsertim quod in quibusdam procuratoriis apponitur illa clausula, *sub beneplacito* summi Pontificis, vel ejus Legati, aut alterius ad id canonicam potestatem habentis, quæ clausula multum juvat... Quod antequam conferatur beneficium parti, supplicatur benigne summo Pontifici, Legato, vel *Ordinario*, aut alteri ad id potestatem habenti, sibi conferri beneficium in ejus manibus resignatum, & resignationem admittit Superior solum habito respectu ad supplicationem, & quod intentio supplicantis est talis, Non autem habetur ratio ad clausulas positas in procuratorio; quæ tamquam superflue rejiciuntur.

XIII. Hæc ibidem Ruzzus, qui & testatur, quod his rationibus non obstantibus, per Arrestum suprema Curie declarata fuerint similes resignationes *illicite* & *Simoniacæ*, tamquam continentes mentalem ut minus actionem ex parte resignantis, & conventionalem juxta expressa verba Procuratorii ad resignandum. "Et quia procurator, qui debet diligenter servare fines mandati, non potest aliter facere, quia si resignat *puere* & simpliciter, illud est contra tenorem mandati. Si verò resignet in favorem talis, & non aliis, aliter, nec alio modo, est contra naturam resignationis, & adstringit collatorem ad conferendum tali, cum dependeat à sua mera libertate collatio beneficii. Et sic in omnem casum vitiat talis actus; & quod dicitur, simoniacè renuntiare hoc expressio quod alteri conferatur.

XIV. Interim ex hoc decursu Ruzzi apparet, quod circa annum 1500. inceperint hæ clausulae, *in favorem, non aliis, nec aliter* &c. irreperere in Procuratoria resignationum, idque forsan potius ex ignorantia & stylo Notariorum, quam intentione resignantium. Apparet quoque, quod Pontifices, neglectis his clausulis, resignationes illas passim admitterent tamquam *simplices*: quodque interdum etiam exprimeretur, quod Resignantes se subjicerent *beneplacito* Papa

XV. Apparet insuper, quod non tantum coram Papa, aut ejus Legato, sed & *Ordinario* ejusmodi resignationes fierent: ac per consequens nondum invalueret reservatio harum resignationum Sedi Apostolice

quæ postmodum facta est; uti capite sequenti notabimus.

XVI. Hoc notatu dignum, inter omnes probationes pro justificatione harum resignationum à Ruzzo adductas, nullam peti ab auctoritate Pontificis *purgandi Simoniam*. Argumentum admodum probabile, nondum tunc opinionem de auctoritate Pontificis purgandi Simoniam in resignatione notam fuisse, aut saltem adhuc parum receptam, ut in argumentum pro justificatione resignationis adducenda non videretur, uti rectè advertit Ludovicus Thomassinus de Disciplina Ecclesie, parte 4. lib. 2. c. 17. n. 15.

XVII. Interim hoc scimus, usum earum resignationum, non obstante illo Parlamenti arresto sensim invaluisse, nec tantum in Curia Romana, sed & in Senatibus Regni admissum fuisse; quin (ut supra notavimus) Senatus Regios judicasse, Papam non posse Beneficia in favorem certæ personæ resignata cum clausula, *non aliis, nec aliter* alteri conferre, & per consequens Senatus Regios opinionem suam de usu harem resignationum mutasse, contrariamque praxim admisisse.

Ad hæc mutatio adscribenda sit opinioni de purgatione Simoniam hic interveniente, quæ Canonistis & Theologis multum familiaris esse cepit, incertum est; quin conturbaverit, vix dubitari potest; quamvis hic nulla purgatio Simoniam necessaria videatur: neque in hac purgationem refundi debere, quod hujusmodi resignationes hodie non ab Ordinariis, sed à summo Pontifice probari debeant; quemadmodum ostendetur capite sequenti.

XVIII. Illud tamen inficiari nequit, in hisce resignationibus non raro Simoniam, ut minus mentalem, intervenire; easque ut plurimum esse suspectas, quod potius in favorem carnis & sanguinis fiant, quam in utilitatem Ecclesie. Certum quoque est, per has resignationes beneficia quasi jure hereditario in nepotes & cognatos transmitti; aditamque & dignioribus ad beneficia sæpe occludi; ipsosque Ordinarios jure collationis fraudari.

XIX. Hæc aliaque, quæ has resignationes comitari solent, merito dubitari faciunt, an non satius fuisset, juxta superius allegatum suprema Curie Arrestum, nunquam hujusmodi resignationes admitti. An non & merito nomine Caroli IX. Regis Gallie à Patribus Concilii Tridentini postulatum fuerit, ut *Resignationes in favorem ejiciantur omnino à Curia Romana*: quamvis iis admissis & receptis, interdum in certis circumstantiis aliquis iis licitè in utilitatem Ecclesie uti posse videatur, quemadmodum capite sequenti latius dicitur.

XX. Altera species resignationis *conditionalis* hodie non minus, quam præcedens communis, dicitur *Resignatio causa permutationis*. In permutatione enim uterque permutantium suum beneficium resignat eâ conditione, ut alter alterius beneficium allequatur: atque ita, tacita saltem & hic utrimque resignatio *in favorem* intervenit: atque hæc ratione resignatio quæ intervenit revera est *conditionalis*.

XXI. Etiam seculo XII. hæc resignationes seu permutationes ab aliquibus iniri capisse constat ex Concilio Turonensi sub Alexandro III. in Cap. 8. *De Præbendis*, quod *permutationem Dignitatum* fieri prohibet.

Verum cum Concilium Turonense de sola permutatione *Dignitatum* loqueretur, quæsitum fuit, num permutatio *Præbendarum* licita censeretur: respondit Urbanus III. in Cap. 5. *De Rerum permut.* "Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem, continet semper Simoniam.

Ex his aliisque Pontificum responsis, nec non Conciliorum Decretis circa idem tempus editis, manifestum

est, permutationes Beneficiorum, præsertim pactione præcedente, fuisse reprobata, tamquam de Simonia ut minus admodum suspectas.

XXII. Nequaquam tamen translationes beneficiorum auctoritate Superioris planè reprobata fuerunt; quas & in Episcopis jam pridem Canones admiserunt; dummodo utilitas aut necessitas Ecclesiarum has translationes postulet.

Hinc Urbanus III. in citato responso, quo permutationes præbendarum per Concilium Turonense veritas respondit, adjungit: "Si autem Episcopus causam in se speret necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personam: ut quæ uni minus sunt utilitas, alibi se valeant utilius exercere.

Evidens est per hanc clausulam, Pontificem non aliud velle, quam Episcopos posse beneficiatos, sua auctoritate transferre de una Ecclesia ad aliam, si in se speret causam necessariam hujus translationis. Permutationes ergo beneficiorum hic probatas esse, ex prædicta clausula etiam nequaquam potest.

XXIII. Attamen cum ex responso Pontificis ad Decretales relato haberetur, Episcopis licitum esse, Beneficiatos de uno loco ad alium transferre, ceperunt Beneficiati sua beneficia ad manus Episcoporum resignare eâ conditione tacitè vel expressè, ut eorum auctoritate ad mutuas Ecclesias transferri possent; sive alter alterius beneficium consequi.

XXIV. Et primitus quidem credebatur hæc beneficiorum resignatio esse libera; quasi beneficia ita resignata verè vacarent; possentque Episcopi ea liberè conferre; quin & Expectantes, seu mandatarii Apostolici illa tantquam vacantia acceptare.

Verum cum alia sciretur esse mens Resignantium; scireturque, beneficia hæc non resignari, nisi sub ea conditione, ut alter in alterius beneficium succogaretur, respondit Bonifacius VIII. Biterensi Episcopo in Cap. unico *De Rerum permutat.* in 6. quod expectantes seu Mandatarii Apostolici hujusmodi resignata beneficia, tamquam vacantia acceptare nequeant: *Æquitate* (ait) *preferentes hac in parte rigori*. Quam diceret, licet de rigore talia beneficia verè vacent: tamen æquum non est, aliis ea conferri: quia Resignantes, nisi credidissent vi hujus resignationis se ad mutua Beneficia transferendos, ea non resignassent.

Eadem æquitate specie motus Pontifex in *Clementina unica de rerum permutatione* declarat. "Ne concessio- ne Juris atenuibus præsertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis, quam ipsi permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volutus firmitatis.

XXV. Cum ergo auctoritate Juris jam stabilitè esset, beneficia ex causa permutationis resignata non posse aliis quam ipsis permutantibus conferri, ceperunt Beneficiati passim sine metu amittendi sua beneficia permutationes beneficiorum concipere, & ex causa permutationis ad manus Episcoporum resignare; certi quod si Episcopi permutationes non admitterent, transferendo Resignantes de uno ad aliud beneficium, ipsi permanerent in suis beneficiis, nihilque de suo amitterent.

Episcopi verò scientes ex similibus permutationum rejectione nihil sibi commodi obvenire; neque se posse de beneficiis sic resignatis alicui alteri providere, admodum faciles fuere, ut permutationes sive resignationes ex causa permutationis admitterent ad beneplacitum Resignantium.

XXVI. Et quidem ipsi permutare volentes tractatum permutationis concipientes permutationem conceptam ab Episcopis probandam nade proponere ceperunt: adeo ut initium ipsum & fundamentum ab ipsis permutantibus poneretur; ipsi verò Episcopi consentium suum darent atque permutantes, vi resignationis ex *Van Espen Jur. Eccl. Roll.*

causa permutationis jam prius inter ipsos conceptæ, de uno loco ad alium transferrent: aut transferendi auctoritatem impartitent. Quapropter hujusmodi mutationes beneficiorum potius hodie vocantur *permutationes*, beneficiorum, quam *translationes*: eò quod permutatio per ipsos beneficiatos prius concepta præcipuas in hac mutatione & translatione de una ad aliam Ecclesiam partes obtineat.

XXVII. De hisce permutationibus à compermutantibus concipi solitis verè dixit Boetius Epo apud Duacenos olim SS. Canonum Antecessor primarius in tractatu *de Saturnino permutationis Beneficialis jure* n. 32. "Permutationis beneficialis exempla nullis in antiquis aut Canonibus aut historiis Ecclesiasticis reperitur: adeo ut nec apud Isidorum, nec apud Burchardum, nec apud Ivonem, nec apud ipsum quidem novissimum decretorum collectorem Gratianum ulla profus extet permutationis beneficialis mentio.

XXVIII. Illud quoque certum est, quod licet Ecclesia Resignationes Beneficiorum hujusmodi ignotas tolleret & admittat, nihilominus, non minus hodie, quam olim, Ecclesia execretur turpes ac illicitas in beneficiorum resignationibus pactiones; nec non omnes eas de una ad aliam Ecclesiam translationes, quas non utilitas aut necessitas Ecclesiarum; sed ambitio, aut turpis quæstus, vel carnis & sanguinis carnalis affectus extorquent: quas licet auctoritas humana subinde prober, aut non improbet, semper eas auctoritas divina & lex æterna damnabit: & Ecclesia à Spiritu Sancto directæ execrabitur.

XXIX. Undè quia non raro permutationes beneficiorum non ad mentem Ecclesie instituuntur, sed vel pravis pactionibus infectæ sunt, vel à carnali affectu prodeunt, non immerito hanc permutationis materiam *Saturninam* se vocasse credit citatus Boetius. "Equidem (ait num. 1.) nominavi *Saturninam* permutationis, hanc materiam non alia de causa, quam quod suos fecerit in summum sæpe numero solet adducere discrimen, non secus ac Saturnus crudeliter factum devorat proptium, sicut est in fabulis: licet id ad naturam temporis, quod edax est rerum, plerique referant. Certè permutationes istæ beneficiales frequenter scrupulos gignunt in animis permutantium adeo duros, adeo præterea vehementes ac urentes, eodemque justos, ut Saturni voracitas nullos unquam consimiles genuerit, cruciatus illis ipsis qui devorabantur: cum graviter læsa conscientia non temporarios at perpetuos expectari cruciatus, qui ne morte quidem corporis finiuntur; sed magis ac magis crescant & graviores acrioresque redduntur, nisi salutibus ante mortem fuerit expiata poenitentia Christianæ Catholicæque remediis. Quorum quidem remediorum præstat non indigere prudenter abstinendo talibus commerciis, quàm temerarias & quasi nundinatorias faciendo permutationes tantum subire periculum, cujus amator dignus est qui præeat in illo.

CAPUT II.

De quorum consensu Resignationes admittendæ: & quæ causa requiratur.

1. *Adscriptum certa Ecclesia eam inconsulto Episcopo deserere nequit.*
2. *Per Beneficium Clericis Ecclesie adscribitur.*
3. *Jure Decretalium inconsulto Episcopo nemo Beneficium renuntiare potest.*
4. *Quomodo contraria Praxis quoad renuntiationes simplices invaluerit?*
5. *Resignatio in favorem hodie à solo Papa admittitur.*